

quando vero non prohibetur propter se, sed ratione operis præcepti, tunc ipsa ignorantia actualis non est peccatum distinctum ab omissione operis præcepti, ut ignorantia diei festi, quæ non est peccatum diversum ab omissione auditionis sacri. Et si scire velis, quandonam in particulari ignorantia est diversum peccatum, & prohibita propter se. Dicitur, quod semper, ac omittitur illa scientia, ad quam quis tenetur ratione sui officii, & status. Unde omnes tenentur scire mysteria fidei præcipua, leges communes ad mores pertinentes, nempe præcepta Decalogi, & Ecclesie, & quæ concernunt Sacramenta; præterea quisque tenetur scire leges, & statuta ad proprium statum, & officium pertinentia.

127. Ex quo patet Prælatum, Confessarium, Judicem, Advocatum &c. Lethaliter peccare, quoties muneratur, & leges sui officii scire negligunt; non solum in ipsa negligentia, sed tot peccata committere, quot sequuntur; aut sequi possunt ex illa ignorantia, quorum periculum proximum prævidetur in causa, aut prudenter, & moraliter timeri potest. Hæc præ oculis habeant Confessarii illi, qui vix summam moralem salutarunt, & sine discrimine omnium confessiones excipiunt, quorum culpam, & errorum solus Deus testis, & iudex erit, reddens unicuique juxta opera sua.

128. Inq. 3. Quomodo cognoscatur, quod ignorantia sit vincibilis? R. Quoties in principio, vel toto operationis processu nulla subest cogitatio, advertentia, aut recordatio actualis, seu virtualis directa, vel indirecta, particularis, vel in confuso circa obligationem, si sit ignorantia juris, vel circa conditionem objecti, si sit ignorantia facti, esse ignorantiam invincibilem. Ratio est: quia seclusa omnino tali advertentia, non habet homo sufficiens principium, unde possit circa ea, quæ ignorat, discurrere, & inquirere; superat enim humanam diligentiam, expellere ignorantiam illius rei, cujus nulla prorsus occurrit cogitatio, aut recordatio. Idque verum esse affirmamus, etiam si cognoscatur totum objectum in esse physico, non vero in esse morali; quia cognitio precise entitatis physica non est sufficiens principium inquirendi circa mora-

litem. Nota tamen esse quædam objecta, vel actus, nempe odium Dei, blasphemia, homicidium, & similia, quorum malitia est adeo per se nota, ut a nullo, plene advertente eritatem, possit saltem sub dubio, vel scrupulo non adverti. Unde difficilius possunt excusari propter ignorantiam peccata, quæ sunt contra jus naturæ, quam alia, quæ versantur contra jus positivum. Non potest dari ignorantia invincibilis de Existentia Dei.

129. Ex quibus inferitur 1. Ignorantiam esse vincibilem, quoties circa obligationem, vel objectum in esse morali adest aliqua cogitatio, advertentia, vel dubium, & non apponitur diligentia sufficiens ad inveniendam veritatem. Hæc autem diligentia debet esse gravis, & prudens, proportionata præceptorum dignitati, & nature negotii, aut objecti; ita ut major sit apponenda in materia juris naturalis, & divini, quam circa præcepta juris humani.

130. Inferitur 2. Quod dum ignorantia prohibetur per se, & ratione sui, est peccatum ignorantie oppositum virtuti studiositatis per defectum, aperiendum necessario in Confessione; cum vero ignorantia prohibetur non per se, sed ratione alterius præcepti, peccatum commissum cum ipsa, vel propter illam, est unicum, & ejusdem speciei, ac si scienter committeretur: ut omisso auditionis sacri ex ignorantia vincibili est unicum peccatum, & ejusdem speciei, ac si scienter omitteretur.

#### De regulis Moralitatis.

131. Inq. 1. Quot, & quæ sint regule Moralitatis? R. Sunt duæ. Prima universalis extrinseca, & remota est lex æterna; divina, scilicet mens; seu ratio Dei omnis rectitudinis indefectibile exemplar: secunda vero, proxima, intrinseca, & homogenea regula Moralitatis est dictamen practicum rationis, seu conscientia: sic D. Th. 1. 2. q. 71. art. 6.

132. Prob. ratione prima pars assertio- nis. Regula prima moralitatis debet esse indefectibilis in dirigendo actus morales in proprium finem, qui est Deus; sed nulla

natura rationalis, nec creatura potest esse indefectibilis regula dirigens in Deum, sed solum lex æterna in mente divina existens: ergo sola hæc est firma regula moralitatis.

133. Secunda pars etiam probatur: nam illa est regula firma, & intrinseca moralitatis, per quam nobis intimatur lex æterna indefectibilis; sed hoc fit per dictamen practicum rationis, seu conscientie, teste Propheta: Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: ergo secunda regula moralitatis, & proxima est conscientia.

134. Inq. 2. Utrum de essentia moralitatis sit esse juxta, vel contra aliquam ex dictis regulis? R. affir. Ideo enim actus humani sunt boni, vel mali, quia per legem æternam, vel sunt præcepti, vel prohibiti. Quoniam omnis malitia est contra dictamen rationis; sed hoc dictamen est ipsa lex naturalis: erg. omnis malitia moralis est contra legem æternam, cujus participatio est lex naturalis in nobis. Prob. maj. Nam etiam illa, quæ intrinsece sint mala, si contra dictamen rationis non sunt, peccata non sunt: ut patet in eo, qui ex ignorantia invincibili furatur ad elargiendam elemosinam, qui ideo non peccat, quia non operatur contra dictamen rationis, quod est proxima regula moralitatis: erg. omnis malitia debet esse talis; quia est contra legem æternam, & naturalem, seu dictamen rationis. Idem est de bonitate.

135. Objic. 1. In odio Dei v. g. datur aliqua malitia ratione cujus prohibeatur per legem æternam, & naturalem: ergo datur aliqua moralitas, quæ non sit contra regulas assignatas. Ant. prob. nam aliquid est in odio Dei, vi cujus a Deo prohibea-

tur, quod minime in Dei amore reperitur; sed nihil aliud potest esse, quam aliqua malitia: erg. datur hæc ante legem æternam, & naturalem: & ideo solet dici de talibus, quod sunt prohibita quia mala: ergo hoc malum existit pro priori ad prohibitionem, & legem.

136. R. Odium Dei, & alia, quæ opponuntur juri naturali, esse mala pro priori ad legem æternam, illa prohibentem; non mala formaliter, sed solum fundamentaliter, consistens in eo, quod tales actus repugnant alicui prædicato divino, v. g. odium Dei, bonitati divine: mendacium summæ veracitati: quæ quidem malitia fundamentalis est motivum sufficiens, ut prohibeantur. At vero malitia formalis horum actuum unice desumitur ex eo, quod lex æterna, & naturalis, quæ est ejus participatio, illam prohibeant. Unde dum dicimus, quod sunt prohibita, quia mala, solum mala fundamentaliter intelligi oportet; non vero formaliter: quia ut inquit Apost. *Ubi non est lex, nec prævaricatio.*

137. Objic. 2. Actus consilii, & super erogationis sunt boni; & tamen non sunt tales per conformitatem ad aliquam legem, cum sint extra præceptum: erg. datur bonitas, & non secundum regulas assignatas. R. Quod opera consilii, & super erogationis, licet non cadant sub aliqua lege absolute, bene tamen ex suppositione, quod fiant: nam hoc ipso, quod homo operetur, debet suæ actioni præstitueretur rectum finem, & debitas circumstantias, ut bene fiat, licet nulla lege, aut præcepto teneatur ad operandum: & hæc ratione diximus, non posse actus indifferentes dari in individuo, si deliberate fiant.

## TRACTATUS SECUNDUS

### DE REGULIS MORUM.

#### CAUPT I.

##### De Conscientia.

Proxima regula moralitatis est conscientia, quæ velut cum alio scientia dicitur, vel quia per eam scientia universalis ad particularem applicatur, vel quia per ipsam quis sibi scit, quid fecerit, vel

sit faciendum. Unde etiam dicitur dictamen, sententia, aut scientia rationis. De hac agimus in præsentibus cum D. Thom. 1. p. q. 79. art. 13.

## PUNCTUM I.

## Notio, &amp; Divisio Conscientiæ.

1. Inq. 1. An Conscientia sit habitus, vel potentia? R. Nec est habitus, nec potentia, sed actus, quia habitus, & potentia nequeunt facile deponi; sed conscientia facile deponitur: erg. non est habitus, nec potentia. Est igitur actus synderesis, qui est *habitus primorum principiorum in operabilibus*, applicans principium universale ad particulare, ut patet in hoc silogismo: omne malum est vitandum; sed furtum est malum: erg. hoc furtum est vitandum. Ubi præmissa major est a synderesi, minor a ratione superiori, & conclusio a conscientia, applicante regulam universalem ad particularem, ita D. Th. ubi supra. Non autem unus actus solus est conscientia, sed triplex, ut infra digemus.

2. Inq. 2. Quid sit conscientia? R. Est *dictamen practicum rationis applicatum ad opus*. Vel est *Dictamen actuale rationis practice, ostendens quid bono, & nunc agendum est, vel omittendum*. Dicitur *dictamen*, seu *judicium actuale*: quia conscientia non est potentia, nec habitus, sed actus, ut diximus: additur *rationis practice*: quia conscientia intellectus, non voluntatis, est actus: cum ejus propria munera sint testificari, judicare, redarguere, & reprehendere, quæ cognitionem dicunt. Verum non est actus intellectus speculativi; quia in contemplatione non sistit, sed practici, qui ad operandum dirigit: ad quod innuendum apponuntur cæteræ particulae, ut intelligatur dictamen conscientia esse de opere exequendo, attentis circumstantiis occurrentibus.

3. Inq. 3. Quotplex sit conscientia? R. Est multiplex; potest enim dividi ex parte temporis, ex parte obligationis, ex parte objecti, & ex partes actus. Igitur dividitur conscientia 1. ex parte temporis in *antecedentem*, & *consequentem*. *Antecedens* est, quæ dirigit operationem, & dicitur, quid agendum sit. *Consequens* est, quæ dicitur ea omnia, quæ egimus, de quibus tristamur, vel consolamur, de qua non agitur. 2. Dividitur conscientia ex parte obligationis in *præcipientem*, *consulentem*,

& *permittentem*. *Præcipientem* est, quæ dicitur aliquid agendum ex præcepto: *Consulens* ex consilio. *Permittens* est, quando dicitur aliquid neque præcipi, neque prohiberi, sed utrumque posse.

4. Tertio dividitur conscientia ex parte objecti in *rectam*, & *erroneam*. *Recta* est, quæ dicitur rem, ut est in se: nempe bonum, ut bonum, & malum, ut malum. *Erronea* illa dicitur, quæ dicitur rem aliter ac est in se, scilicet bonum, ut malum, & malum, ut bonum. Item conscientia erronea dividitur in *invincibilem*, & *vincibilem*. *Invincibilis* est, cujus error moraliter prudenti studio superari non potest, & ideo non imputatur ad culpam. *Vincibilis* est, cujus error studio, & diligentia vitari potuit, & debuit, quare culpabilis est, qui sequendo hanc conscientiam operatur. Rursus conscientia erronea vincibilis subdividitur in culpabilem ex ignorantia affectata, & culpabilem ex ignorantia crassa, vel supina. Prima est, quando aliquis errat, data opera, volens ignorare, ut liberius peccet: Secunda est, quando quis errat ex desidia, & magna negligentia addiscendi ea, quæ tenetur scire.

5. Quarto dividitur conscientia ex parte actus, seu modi operandi in *certam*, *probabilem*, *dubiam*, & *scrupulosam*. *Conscientia certa* est, quæ dicitur certo, & sine formidine aliquid esse faciendum, vel omittendum: & hoc invenitur tam in recta, quam in erronea, & sic non constituit speciem distinctam. *Conscientia probabilis* est, quæ assentitur uni parti cum formidine alterius; Ut cum quis ita existimat unam esse veram, ut timeat, ne contraria vera sit. *Conscientia dubia* est, quæ perpensis rationibus utriusque partis, anceps remanet, & nulli parti revera assentitur. Si vero in aliquam partem magis se inflectat, erit *suspicio*. *Conscientia scrupulosa* est, quæ uni parti adhæret cum formidine contraria, orta ex levibus motivis, & rationibus.

6. Ex quibus constat, quid & qualiter definienda sint, opinio, dubium, scrupulum, & suspicio. *Opinio* est assensus unius partis cum formidine alterius opposite. *Dubium* est, suspensio assensus circa objectum apprehensum. *Scrupulus* est, inanis apprehensio orta ex levi motivo, de eo, quod sit malum, quod revera non est. *Suspicio* est

est, *propensio quedam ad assentiendum ex levibus indicibus proveniens*. Similiter patet differentia inter ipsa: nam dubium excludit assensum utriusque partis: suspicio licet non excludat illum, magis tamen propendit in unam partem; at opinio assentitur determinate uni parti, licet cum formidine veritatis alterius. *Scrupulus* autem convenit cum opinione in eo, quod habet assensum unius partis, differt vero in eo, quod ex levi fundamento movetur ad assentiendum.

7. Constat etiam ex dictis divisionem conscientia traditam ex parte objecti, & actus esse bonam. Ratio est: quia illa est recta divisio, in qua membra dividentia adæquant divisum, & illud non excedunt; sed hujusmodi est prædicta divisio: ergo est bona. Prob. min. nam tot sunt membra, & species conscientia, quot sunt modi tendendi ad objectum; sed conscientia solum potest tendere ad objectum, vel certo, vel falso, vel probabiliter, vel dubie, aut scrupulose: erg. tot tantum erunt species, & divisiones conscientia: ergo conscientia adequate dividitur in certam, falsam, seu erroneam, probabilem, dubiam, aut scrupulosam.

## PUNCTUM II.

## De Actibus Conscientiæ.

8. Inq. 1. Quot sint actus conscientia? R. Sunt tres: quia juxta diversam applicationem nostræ cognitionis ad ea, quæ agimus, habet diversos actus; si enim applicatur cognitio ad ea, quæ fecimus, vel omissimus, conscientia dicitur *testificari* juxta illud ad Rom. 2. *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum*. Si vero applicatur cognitio ad ea, quæ facienda, vel omittenda sunt, dicitur conscientia *ligare*, vel *instigare*, juxta illud ad Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide* (id est ex conscientia) *peccatum est*. Si autem applicetur cognitio ad ea, quæ facta sunt bene, vel male; tunc conscientia dicitur *excusare*, vel *accusare*, seu *remordere*: juxta illud ad Rom. 2. *Inter se invicem cogitationibus accusantibus, vel etiam defendentibus*. Nec ex hoc inferitur, quod hi tres actus proveniant a conscientia, tanquam ab habitu, vel potentia, non enim sunt, quid

distinctum ab illa; sed quilibet ex ipsis est intransitive ipsa conscientia, quæ per ordinem ad diversa objecta, diversis his nominibus nuncupatur.

9. Objic. 1. D. Hieronim. super illa verba Ezechiel. 1. *Quatuor facies uni*. Vocat conscientiam synderesim; sed synderesis est habitus principiorum: ergo conscientia est habitus. R. Conscientiam denominari synderesim, quia causæ, & effectus per invicem nominantur, non autem, quia conscientia sit synderesis: ita D. Th. 1. p. q. 79. art. 13.

10. Objic. 2. Conscientia manet in dormientibus; sed actus non manet in dormientibus: erg. non est actus, sed habitus, vel potentia. R. Conscientiam manere in dormientibus, sicut alii actus, dum non retractatur, dicuntur manere moraliter in illis; & ita dicimus, manere conscientiam in sua causa, quæ est synderesis. Unde constat, quod conscientia non est synderesis, nec alius habitus, aut potentia, sed actus.

11. Inq. 2. An conscientia sit actus intellectus, vel voluntatis? R. Conscientiam esse actum intellectus: quia conscientia dicitur vera, erronea, probabilis; sed error, scientia, & opinio pertinent ad intellectum: erg. etiam conscientia. *Confirm.* Conscientia dicitur a conscire, seu scire cum alio, & ejus munera sunt testificari, judicare, redarguere, & reprehendere; sed hæc dicuntur cognitionem: ergo conscientia est actus intellectus.

12. Obj. 1. ad Thimot. 1. dicitur: *De corde puro, & conscientia bona*; sed bonum pertinet ad objectum voluntatis: erg. conscientia in actu voluntatis consistit, non vero intellectus. R. Conscientiam appellari bonam, vel malam *regulative*, eo modo, quo etiam intellectus practicus dicitur bonus in Psalm. 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*: quia regulat opera bona; cum erg. conscientia sit actus intellectus practici, dicitur bona, vel mala *regulative*: neque bonum, ut bonum est objectum ejus, sed attingit illud sub ratione veri practici, sub qua ratione ad intellectum, non ad voluntatem pertinet.

13. Obj. 2. Si conscientia esset actus intellectus, qui haberet meliorem cognitionem, gauderet meliori conscientia; sed hoc est falsum: cum passim videantur homi-

mines alias docti, pravæ conscientia: erg. hæc non est actus intellectus. R. Quod qui habet meliorem cognitionem practicam, gaudet utique meliori conscientia, non vero, qui pollet meliori cognitione tantum speculative: in hac enim non consistit conscientia, sed in cognitione practica: unde non mirum, quod plures inveniantur docti speculative, & alias sint depravata conscientia.

## PUNCTUM III.

## De Conscientia Recta.

14. Inq. 1. An conscientia recta semper obliget? R. negat. Quia conscientia recta dicitur potest aliquid per modum præcepti, aut per modum consilii: si hoc secundo modo dicitur, certum est, non obligare; consilium enim ad ea, quæ sunt perfectionis spectat; minime vero, quæ sunt necessitatis. Sed notandum est discrimen inter bonum, & malum, dum a conscientia proponitur: bonum enim, aut per modum præcepti, aut per modum consilii dicitur valere; at malum semper sub præcepto prohibetur pro diversitate materiæ.

15. Inq. 2. An peccet, qui agit contra conscientiam rectam præceptivam? R. affirm. Quia agere contra legem æternam est peccatum; sed conscientia recta est participatio legis æternæ, per conscientiam enim rectam nobis intimatur lex illa divina: erg. qui agit contra conscientiam rectam, peccat. Nota non esse distinctum, & speciale peccatum agere contra conscientiam rectam; ut qui in die jejunit non jejunat, minime committit duplex peccatum, alterum contra conscientiam rectam dicitantem jejunium, & alterum contra præceptum illud imperans; quia intimatio legis æternæ, non est diversa lex ab ea, quæ intimatur; sed potius ejus complementum, cum nulla lex habeat vim obligandi absque promulgatione.

16. Inq. 3. An qui agit contra conscientiam rectam dicitantem aliquid esse malum, peccet mortaliter, an vero venialiter? R. sub distinctione: quia vel conscientia dicitur esse peccatum mortale, aut veniale, & tunc re ipsa certum est, graviter peccare, vel leviter, prout a conscientia proponitur. Si vero tantum dicitur esse malum

in communi, aut in confuso, procul dubio operari tunc contra conscientiam est peccatum mortale: nam qui ita operatur contra conscientiam, amplectitur virtualiter omnem malitiam, quæ potest in objecto reperiri; sed in tali objecto cognitio in confuso inveniri potest malitia mortalis: ergo complectitur malitiam mortalem, & consequenter peccat lethaliter: *Confirm.* Qui deliberate se exponit periculo peccandi graviter, peccat graviter; sed qui agit contra conscientiam dicitantem aliquid esse peccatum in confuso, se exponit huic periculo: cum in illa malitia absolute proposita æque apprehendit malitia gravis, ac levis: ergo peccat graviter.

17. Obj. Objectum non potest tribuere actui majorem malitiam, quam in se continet; sed objectum apprehensum in confuso malum non continet malitiam gravem: ergo qui amplectitur tale objectum, non peccat graviter. Minor prob. quia objectum eo modo apprehensum præscindit a malitia gravi, & levi: ergo in se non continet malitiam gravem. R. negando minor: & ad ejus probationem dicimus: quod licet objectum dictum non contineat malitiam determinate gravem; illam tamen non excludit, sed sub illa malitia in confuso non minus continetur malitia mortalis, quam venialis: unde qui sic operatur utramque amplectitur, & consequenter virtualiter vult illam malitiam gravem, quæ in tali objecto confuse continetur: quod certo peccatum lethale est. Et hoc verificatur, etiam si objectum ex natura sua sit leve.

18. Inq. 4. Quale peccatum sit, & in qua specie hic actus: *volo agere in omnibus contra conscientiam?* R. tale actum esse unicum peccatum, & consequenter habere determinatam speciem malitiæ; quia esto objectum sit universale, & commune, modus tamen tendendi in illud, est specialis, quod sufficit ad tribuendam particularem speciem actus: & sic verum, & bonum in communi sunt objecta intellectus, & voluntatis; & tamen quia circa illa speciali modo tendunt, accipiunt ab eis speciem determinatam. *Confirm.* hic actus *Volo in omnibus honeste vivere*: habet determinatam, & specificam bonitatem: ergo similiter actus illi contrarius: *Volo in omnibus agere contra dictamen conscientia*, ha-

habebit determinatam malitiam.

19. Inq. 5. Cujus habitus vitiosi sit prædictus actus? R. ad nullum vitium pertinere: quia ipsa inclinatio naturalis voluntatis ad bonum, & repugnancia ad malum obstat, ut generetur talis habitus vitiosus. Nec etiam actus ille: *Volo in omnibus honeste vivere*, elicitur ab aliqua virtute, sed ab inclinatione naturali voluntatis ad bonum rationis: quia ubi adest naturalis inclinatio completa ad bonum rationis, habitus locum non habet. Sed pro praxi nota ex D. Thom. 1. 2. q. 19. a. 5. ad 9. *Quod ratio quando apprehendit aliquid ut malum, semper apprehendit illud sub aliqua ratione mali*: puta, qui contrariatur *Divino Præcepto*, vel quia est *scandalum*, vel propter aliquid hujusmodi, & tunc ad talem speciem malitiæ reducitur talis voluntas. Idem est de actibus bonis.

20. Inq. 6. An teneamur ex præcepto naturali conformari conscientia rectæ? R. affirm. nam conscientia recta est ipsa lex naturalis dictans aliquid esse nobis agendum, vel omittendum: ergo ex præcepto naturali cordibus nostris impresso, teneamur conscientia rectæ conformari. Unde legitime infertur, magis astringere propriam conscientiam, quam aliam legem humanam: quia conscientia obligat ex vi præcepti divini naturalis, præceptum autem divinum naturale plus obligat, quam quælibet lex humana.

21. Inq. ultimo. An hoc præceptum naturale operandi secundum propriam conscientiam sit a Deo dispensabile? R. neg. Quia proprie dispensare in aliquo præcepto, est, quod manente præcepto, ejus obligatio relaxetur; sed manente conscientia non potest Deus facere, ut non obliget, quia alias esset sibi contrarius; dum ex una parte præcipit sequi conscientiam, & ex alia tolleret obligationem ex vi dispensationis: erg. præceptum sequendi conscientiam non est dispensabile: & hoc intelligendum est, tam de conscientia recta, quam de erronea.

## PUNCTUM IV.

## De Conscientia Erronea.

22. Inq. 1. Quid sit conscientia erronea? R. Est dictamen practicum rationis falso judicium. I.

dicans, bonum, ut malum; & malum, ut bonum: alia est invincibilis, altera vincibilis, ut supra diximus.

23. Inq. 2. An sit peccatum discordare a conscientia erronea. R. affirm. Quia nemo potest sine peccato discordare a conscientia recta: erg. neque ab erronea. Patet conseq. Ideo non potest primum, quia conscientia recta proponitur, ut lex præcipiens aliquid faciendum, aut fugiendum; sed etiam conscientia erronea nobis proponitur, ut lex dictans; licet falso, aliquid faciendum, aut fugiendum: erg. si discordare a prima est peccatum, etiam erit discordare a secunda. *Confirm.* Si aliquis crederet, præceptum Proconsulis esse præceptum Imperatoris, contemneret præceptum Imperatoris: erg. quando conscientia erronea proponit aliquid, ut præceptum Dei; tunc idem est, contemneret dictamen rationis, ac præceptum Dei. Ita D. Th. 1. 2. q. 19. art. 5. ad 2.

24. Objic. 1. Conscientia nequit obligare ad id, quod est contra legem Dei; sed conscientia erronea aliquando est contra legem Dei: ut quando dicitur esse mentitandum pro salute, aut vita proximi: ergo in isto casu nequit obligare. R. Conscientiam posse obligare ad id, quod alias est contra legem Dei, quando talis lex ignoratur: leges enim non aliter obligant, nisi prout sunt in judicio practico intellectus: cum ergo tunc non sit in illo lex divina prohibens mendacium, & alias sit illa lex, licet falso apprehensa, orta ex divina naturali jubente sequendum esse dictamen conscientia, obligat per accidens mentiri ad vitam proximi servandam.

25. Objic. 2. Deus nequit esse author conscientia erronea: erg. illam non teneamur sequi. R. Quod in conscientia erronea datur duplex judicium, primum, quo aliquid judicamus præcio, quod re vera non præcipitur; & hujus judicii, utpote falsi, Deus non est author: secundum, quo practice judicamus obediendum esse legi divinæ intimatæ per dictamen erroneum conscientia, & istius judicii, utpote veri, Deus author est. Veritas enim talis judicii non consistit in adæquatione cum re secundum se sumpta, sed prout dicitur a conscientia.

26. Objic. 3. Deus nequit esse sibi contra-

trarius; sed si mandaret sequi conscientiam erroneam, esset sibi contrarius: erg. prob. min. Deus nobis præcepit ob nullam causam esse mentiendum; sed hæc sunt sibi contraria: erg. si Deus præciperet sequi in isto casu conscientiam erroneam, esset sibi contrarius. R. Quod in legibus a Deo immediate datis nulla potest esse contrarietas, etiam materialis; at in legibus, quas sibi ratio humana præscribit, potest esse contrarietas materialis ob diversa iudicia practica; non vero erit formalis; cum semper conformentur legi naturali præcipienti sequendum in omnibus esse dictamen conscientie: in quo conveniunt omnia præcepta, cum ligare non possit, nisi ut a rationis dictamine proponuntur.

27. Nota differentiam inter conscientiam erroneam invincibilem, & vincibilem; quod licet utraque obliget ad operandum secundum earum dictamen, aliter tamen, & aliter; nam invincibilis, supposito errore, obligat tantum ad eam sequendam; sed vincibilis obligat primo, juxta aliquos, ad faciendam sufficientem diligentiam ad sui depositionem. Sed, ut clarius loquamur, provenit talis obligatio ex præcepto naturali adhibenti sufficientem diligentiam ad veritatis acquisitionem, & expulsionem erroris. At supposito, quod non deponatur error, obligat ipsa conscientia ad eam sequendam: quia hoc ipso, quod perseveret, est regula proxima directiva operationis. Unde aliud est, ad quid teneatur, qui habet conscientiam erroneam, aliud ad quid ipsa obliget. Tenetur quidem, qui habet conscientiam erroneam ad illam deponendam: ipsa vero conscientia non obligat ad deponendam semetipsam, sed obligat ad eam sequendam, donec deponatur.

28. Inq. 3. Quid agere debeat, qui ex conscientia erronea, utrumque contradictionis extremum judicat esse peccatum? R. Quod si conscientia erronea sit vincibilis adest obligatio ad eam deponendam, ut proxime dictum est. Si vero cum ipsa operetur, peccat quamlibet partem sequendo. Nec ex hoc inferitur, quod necessario peccet, hoc quippe solum est ex suppositione: quia potest, & debet errorem deponere, cum ignorantia sit vincibilis, & voluntaria. Si autem, nec per se, nec per alium virum doctum, quem debet

consulere, potest se a tali errore expedire, tunc debet eligere, quod minus malum appareat. v. g. Mulier, cui commissa est infirmi cura, judicat peccare omitendo sacrum, & simul peccare, descendendo infirmum, tenetur omittere sacrum, & non deserere infirmum; Supposito, quod non habeat, quem consulat, idem est de pastore ovium. Sed si adeo sit perplexus, ut post adhibitam diligentiam, adhuc agnoscere nequeat, quid sit minus malum? tunc debet poenitere de sua ignorantia vincibili, & per poenitentiam redditor invincibilis: quia peccatum præteritum ad alia peccata compellere nequit; cum in nostra voluntate sit prævere futura, de præteritis poenitendo. At si quis eo perplexitatis deveniat, ut neque aliquo ex modis relatis possit devincere errorem, neque ei occurrat de eo poenitere, tunc jam erit conscientia erronea invincibilis, de qua statim.

29. Si igitur aliquis ex conscientia erronea invincibili judicat utramque contradictionis partem esse peccatum, ut in exemplis appositis, tunc dicimus posse eligere sine peccato partem, quam maluerit: tum ne admittatur perplexitas simpliciter, & casus, in quo hominem peccare absque sua culpa, necessum sit, quod apud omnes absurdum est. Tum etiam, quia licet ille actus sit absolute liber libertate physica, quatenus fertur in objectum cognitum, ut malum; non tamen est liber moraliter, seu in ordine ad culpam vitandam, cum quavis parte electa, peccatum necessario committatur. Nec refert, quod feratur in objectum cognitum, ut malum: quia non fertur in malum, ut possibile vitari: libertas autem moralis in actu petit necessario tendere in objectum malum, in quantum sub ratione mali est vitabile; alias non libere in illud tenderet.

30. Inq. 4. Quæ existentia requiritur in iudicio erroneo vincibili, ut ejus operatio sit peccatum? R. Non requiri existentiam actualem, sed sufficere virtualem, quæ datur cum actualis, formalis non est interrupta per actum contrarium, nec per longum tempus; ita ut ex vi talis iudicii erronei applicetur voluntas ad opus: v. g. qui ex conscientia erronea vincibili judicat, esse furandum ad eleemosinam largiendam, & ex hoc errore operatur, peccat,

eat, quia talis error inducit in furtum; si vero immemor prædicti erroris operetur, ita ut nec, virtualiter perseveret, in hoc casu non peccat abstinendo se a furto, & ratio est, quia tunc error nullo modo induit in omissionem.

## PUNCTUM V.

De gravitate, & specie peccati ex conscientia erronea.

31. Inq. 1. An sit gravius peccatum agere contra conscientiam erroneam vincibilem, vel juxta illam? R. 1. Quod cæteris paribus gravius peccat, qui agit contra conscientiam vincibiliter erroneam, quam qui operatur juxta illam, quia agens contra eam, scienter operatur, qui vero eam sequitur, peccat ex ignorantia; sed ignorantia minuit peccatum: erg. gravius peccat, qui agit contra conscientiam. R. 2. Quando cætera non sunt paria, non posse certam prescribi regulam, nam aliquando erit gravius peccatum sequi conscientiam erroneam: aliquando vero contra eam agere, secundum gravitatem, vel levitatem materie, quam judicat præceptam, vel prohibitam. Quia obligatio conscientie non est alia ab obligatione præcepti, quod apprehendit; sed quo gravius est præceptum apprehensum, gravior est illius transgressio: erg. tunc erit gravius peccatum agere contra conscientiam, quando præceptum ab ipsa falso propositum fuerit gravius, & tunc levius quanto fuerit leve. Sit exemplum: Dictat conscientia sub præcepto mentiendum esse hic, & nunc ad salvandam vitam proximi: si omitis, gravius peccas, quam si ageres contra conscientiam mentiendo: quia mentiendo peccares tantum venialiter contra præceptum non mentiendi; omitting vero mendacium, peccares mortaliter contra præceptum charitatis subveniendi proximo. E contra vero, si dictat te debere furari ad elargiendam eleemosinam pauperi, gravius peccas furando, quam omitting furtum: quia in primo agis contra justitiam, & in secundo casu contra misericordiam; & gravius est præceptum justitiæ, quam misericordiæ. Quandoque etiam accidere potest esse ejusdem gravitatis agere contra conscientiam, ac agere

juxta illam: ut si quis erronee judicaret dari præceptum justitiæ obligans furari ad solvendum debitum creditori: tunc sive agas contra conscientiam, sive non, contra justitiam operaris: unde æqualiter peccas, sive fureris, sive non.

32. Inq. 2. An peccata contra conscientiam rectam specie differant a peccatis contra conscientiam erroneam. R. negand. Quia diversitas applicationis non variat objectum in esse specifico; sed conscientia, sive recta, sive erronea solum se habet per modum applicationis voluntatis ad objectum prohibendum, proponendo illud ut malum: erg. sive objectum proponatur vere malum, sive falso apprehensum, non variatur in suo esse specifico: & consequenter actus peccaminosi non distinguuntur specie: nec in confessione necesse est explicare, an peccaverit ex conscientia recta, an ex erronea, nisi forte ratione circumstantiæ id fieri debeat.

33. Inq. 3. Ad quam speciem malitiæ, & culpæ quantitatem reducit peccatum contra dictamen conscientie erroneæ? R. Reduci ad illam, quæ falso apprehenditur: quia tota malitia operationis contra conscientiam erroneam, consistit in eo, quod discordat a dictamine illius: ergo tanta, & talis erit malitia, qualis a conscientia errante depingitur. Quare si quis judicat erronee esse peccatum mortale contra Religionem, expuere in Ecclesia, peccabit mortaliter contra Religionem expuendo, & sic de aliis.

34. Sed hic duo notari debent: *Primum*, quod si conscientia erronea dicitur esse veniale, quod revera est mortale, tunc distinctione opus est: nam vel talis conscientia est vincibilis, & tunc erit peccatum mortale, quia ignorantia vincibilis non excusat a culpa; si vero fuerit invincibilis, tunc agere contra illam solum erit veniale: quia ignorantia inculpabilis excusat: nec plus malitiæ contrahit actus, qui adversus eam agit, quam quæ ab eadem conscientia proposita fuerit. *Secundum*. Quod si quis detentus in carcere judicat peccare mortaliter sacrum non audiendo, hic nullo modo peccat, illud omitting: quia nequit esse peccatum absque libertate; sed hic non habet libertatem, ad audiendum sacrum: ergo nec peccat.

peccat mortaliter illud omitendo. Nec obstat dictamen erroneum conscientie: quia tunc dictamen erroneum est causa peccati, quando applicatur ad opus, vel influit in operationem; sed tale dictamen tunc non influit in prædictam omissionem, quæ solum provenit a causis extrinsecis: ergo nequit constituere omissionem illam peccaminosam: unde tale dictamen in prædicto casu solum est falsum speculative, non vero practice, vel moraliter.

35. Inq. 4. Quomodo deponenda est conscientia erronea? R. Sub distinctione: nam si conscientia erronea absque ratione probabilis, sed temere, & imprudenter formata sit, ut si quis falso apprehenderet, expuere in Ecclesia esse grave peccatum; tunc ad libitum deponi potest, satisque est advertere ad falsitatem iudicii erronei, illodque deponere formando conscientiam de innocentia operationis. Si vero conscientia erronea concepta est rationabiliter, hoc est, ex aliqua causa, & ratione sufficienti, tunc necessaria est, ut deponatur, ratio contraria probabilior, & efficacior: nam si minus efficax fuerit, non potest elidere rationem illam, per quam error conceptus fuit.

36. Inq. 5. Qualem diligentiam adhibere debet ille, qui vult conscientiam erroneam deponere? Pro solutione dubii nota: duplicem esse diligentiam: una est ordinaria, & moralis, ut expendere rem apud se, consilium viros doctos, & quando ad hoc non est recursus, etiam preces ad Deum fundere, jejuniis, elemosinis, aliisque piis operibus lucem a Deo exposcere, præsertim pro rebus difficilibus, & quæ ad salutem animæ concernunt. Altera est extraordinaria, summa, & exactissima, quæque adhibet media insolita, ut Provincias peragere ad consulendos viros doctos, & ab eis veritatem inquirere, & similia.

37. Hoc supposito. R. Hominem affectum conscientia erronea vincibili teneri adhibere diligentiam ordinariam, & moralem, ut deponat errorem, & si illam omitit, non satisfacit suæ obligationi: quia quilibet tenetur, quantum in se est, vitare peccatum, & periculum peccandi; sed qui non adhibet diligentiam ordinariam, & moralem, non facit quantum in se est, & moraliter potest: ergo iste amat

periculum, & peribit ex sua negligentia in illo. Si vero tali diligentia ordinaria adhuc error non vincitur, nec deponitur, tunc iudicandus est invincibilis, & consequenter minime imputabilis. Secunda diligentia, & extraordinaria necessaria non est, nisi in negotiis insolitis, & extraordinariis: quia superat moraliter humanam facultatem. Sed nota, quod diligentia ordinaria assignata non debet esse æqualis in omnibus, & pro quolibet negotio, sed juxta qualitatem, gravitatem, & dignitatem illius: & ita hoc metiendum est arbitrio prudentis: qui rerum, & personarum qualitate perspecta, attentis occurrentibus circumstantiis, quæ diligentia sit hic, & nunc moralis, & sufficiens ad modum prudenter operandi, & quam alii viri timorati, & cordati pro similibus negotiis præstare solent.

## §. VI.

## De qualitate actus elicitus ex conscientia erronea.

38. Inq. An Actus elicitus ex conscientia erronea invincibili sit bonus bonitate positiva, & meritoria? Supponimus talem actum non esse malum positive, ac proinde esse bonum negative: quia conscientia erronea invincibilis, ut diximus, excusatur a peccato: unde difficultas solum est de bonitate positiva, & meritoria. Circa quod duplex versatur gravissima sententia, nostra autem est negativa: nempe, quod actio procedens ex conscientia erronea invincibili non est bona bonitate positiva, & intrinseca, nec meritoria. Prob. 1. D. Thom. 1. 2. q. 19. art. 6. ad 1. ubi dicit: *Ad primum ergo dicendum, quod sicut Dionysius dicit in 4. cap. de divin. nom. Bonum causatur ex integra causa; malum autem ex singularibus defectibus. Et id eo ad hoc, quod dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit, sive quod secundum suam naturam sit malum, sive quod apprehendatur ut malum: sed ad hoc, quod sit bonum, requiritur, quod utroque modo sit bonum.*

39. Prob. rat. desumpta ex hæc auctoritate: nam ut aliqua actio sit bona bonitate positiva, & intrinseca debet habere non solum bonum finem, sed etiam bonum ob-

objectum conforme legi æternæ; sed actio procedens ex conscientia invincibili, licet sit bona ex parte finis, non respicit objectum bonum, & conforme legi æternæ: ergo talis actio non est bona bonitate positiva, & intrinseca, ac proinde nec meritoria. Major, & minor sunt D. Thom. & consequentia est legitima.

40. Prob. alia rat. Conscientia erronea invincibilis non potest facere operationem bonam positive: ergo, operatio procedens a tali conscientia non est positive bona. Prob. antec. Conscientia, quæ non est recta, non potest facere operationem rectam: ergo, neque bonam; quia rectum, & bonum idem sunt in moralibus; sed conscientia erronea non est regula recta, ut ex se patet: ergo, non potest regulare operationem rectam, seu positive bonam.

41. Objic. 1. Si quis ex conscientia erronea invincibili apprehendat bonum, ut malum, & illud operetur, proculdubio ille peccaret, v. g. audire Sacrum: ergo contra, qui invincibiliter apprehendit malum, ut bonum. V. g. Mendacium ad salutem proximi, & ex tali errore mentitur, bene operatur: ergo mendacium illud erit bonum bonitate positiva, & intrinseca, sicut auditio Sacri erit mala in tali errore, malitia positiva, & intrinseca. R. Concedendo antec. & negand. consequ. Disparitas satis apparet ex autoritate laudata D. Thomæ: nam ut operatio sit bona positive, debet esse bona ex omni causa; ut autem sit mala, sufficit, quod in una deficiat. Unde cum objectum sit causa potissima, & principium moralitatis, & in primo casu apprehendatur ut malum, & in secundo sit intrinsece malum, inde est, quod in utroque casu actio est mala; in primo positive, & formaliter; in secundo tantum materialiter, quia ob errorem invincibilem excusatur a culpa: non vero assequitur bonitatem positivam.

42. Sed dices: ergo qui bona fide adoratur hostiam non consecratam a Sacerdote Catholico celebrante propositam, non elicit actionem positive bonam. R. conc. consequ. Nam adoratio illa est revera actus idolatriæ, licet materialis: excusatur tamen ob bonam fidem, & errorem invincibilem; sed quia est de objecto intrinsece malo, propterea nequit illi communicare bonitatem positivam.

43. Replicabis: ergo imprudenter agit, qui illam hostiam adoratur? R. disting. consequ. Imprudenter agit intrinsece, & revera concedo consequ. Extrinsece, & quoad nos, nego consequ. Ut enim ageret prudenter positive, & intrinsece, deberet operatio in se ipsa esse conformis regulæ primæ, quia prudentia, utpote virtus intellectualis inefficaciter attingit verum, nec potest regulare iudicium falsum, & erroneum; sicut nec virtus moralis valet elicere, aut dirigere actum vitiosum. Excusatur autem ab imprudentia positiva, sicut a culpa, quia operatur secundum regulas apparenter prudentiæ: unde solum potest appellari imprudens negative.

44. Eminentissimus Cardinalis Goti tom. 2. tract. 2. q. 4. n. 13. asserit, eum, qui in hoc casu adoraret hostiam non consecratam, prudenter operari, quia in illo casu omnes viri prudentes existimant hostiam esse consecratam, nec prudenter possunt sibi persuadere oppositum. Et ideo, inquit ille, in praxi regulat honestam adorationem honestate prudentiæ, & Religio-nis. Sed oppositum probabilius iudicamus ab intrinseco rationis, & ex vi consequentiæ doctrinæ.

45. Objic. 2. Ex D. Bern. lib. de Dispens. & Præc. cap. 14. ubi inquit: *Et quidem laude dignam dixerim, vel solum intentionem piam, nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono, ipsa bona voluntas*: ergo, ex mente D. Bernardi operatio circa objectum non bonum potest esse laudabilis, bona, & meritoria. R. D. Bern. loc. cit. aperte docere nostram assertionem: exigit enim ad operationem bonam positive duo necessaria: charitatem in intentione, & in electione veritatem: unde cum in opere non bono deficiat veritas electionis, deficit etiam bonitas positiva operationis. Sed quia illa voluntas, & intentio sunt circa rectum finem placendi Deo, propterea, inquit, non fraudari condigna remuneratione: quod & nos libenter asserimus: actus namque concomitantes opus materialiter malum, possunt esse boni, & honesti positive, ut intentio placendi Deo, obediendi, & actus aliarum virtutum: quia cum opus materialiter non habeat malitiam formalem, nequit illam refundere in hos actus.

## PUNCTUM VII.

## De Confessario Pœnitentis accedentis cum conscientia erronea.

46. Inq. Qualiter se gerere debeat Confessor cum illo, qui conscientia erronea laborat. R. 1. Quod si ignorantia sit vincibilis, certum est apud omnes teneri Confessarium veritatem manifestare pœnitenti, antequam illi impendat absolutionem; quia cum illa conscientia non excuset a culpa, quandiu illa laborat, erit in statu peccati mortalis, consequenterque incapax absolutionis.

47. R. 2. Quod si ignorantia sit invincibilis, licet apud Authores etiam graves non parvum reperitur dissidium; probabilius tamen iudicamus debere Confessarium aperire veritatem, monendo illum in doctrina sana, ad evitandum omnem peccatum etiam materiale, si velit pœnitentem absolvere. Nam vel Confessarius cognoscendo errorem invincibilem pœnitentis, iudicat admonitionem suam profuturam, vel nocituram; sed in quocumque eventu tenetur Confessarius aperire veritatem; erg. semper tenetur ex suppositione absolutionis. Prob. min. Quia si iudicat profuturam admonitionem, apud omnes est certum, debere illum admonere: si autem iudicat nocituram, non potest prudenter iudicare de sufficienti dispositione pœnitentis: erg. non potest illum absolvi. Prob. min. Quia ut Confessarius prudenter iudicet pœnitentem accedere recte dispositum, necessario requiritur iudicium de eo, quod pœnitens velit scire, & adimplere legem, seu obligationem sibi propositam a Confessario: erg. si hæc voluntas deficiat, non potest Confessarius efformare iudicium prudens de recta dispositione pœnitentis: erg. non potest illum absolvi.

48. Ex quo inferitur, quod Confessarius tenetur monere intra confessionem suos pœnitentes sine discrimine, & acceptione personarum, de restitutione pecunie, fame, & honoris, de contractu simoniaco, vel usurario, de impedimentis matrimonii caute, & de omnibus illis, quæ scire, & facere tenentur pro qualitate sui status, muneris, & dignitatis,

priusquam illis absolutionem impendat.

49. Objic. 1. Præceptum correctionis fraternæ non obligat, dum nullus expectatur fructus; immo tacere debemus, si ex correctione auferentur peccata: erg. idem tenetur facere Confessarius, si timet eundem effectum ex sua admonitione. R. neg. conseq. Quia inter forum externum, & internum magna adest disparitas: quapropter Parochus, Pastor, & Confessarius plura in foro exteriori dissimulare possunt, dum majora prævident incommoda ex admonitione secutura, vel nullum profectum sperant; Confessarius vero sedens pro tribunali, audiens confessionem, munus Iudicis, & Magistri exercet, cui incumbit instruere pœnitentem, causam agnoscere, & sententiam ferre, ut debite suo muneri satisfaciat: quod minime compatitur cum dissimulatione.

50. Objic. 2. Potest accidere casus, in quo Confessarius debeat dissimulare, & absolutionem impertiri: ergo in aliquo eventu tenetur Confessarius non admonere pœnitentem, & illum absolvi. Prob. antec. Accedit femina, quæ invalide contraxit matrimonium ob impedimentum dirimens, ortum ex copula cum consanguineo mariti in primo, aut secundo gradu habita: agnoscit Confessarius nullitatem matrimonii, & ignorantiam invincibilem femine: si admoneat, certo timet secutura gravia inconvenientia, nempe interficiendam esse a marito, aut alia scandala: insuper urget necessitas suscipiendi sacramentum, & alias femina est in animi præparatione ad faciendum omne id, quod ex sua parte potest, & debet: erg. saltem in hoc casu debet Confessarius dissimulare, & absolvi pœnitentem.

51. R. Quod in hoc casu, qui raro accidere potest, dicitur prudentiæ virtus, quod Confessarius caute, & magna circumspectione procedat, ne ejus admonitione laqueum parat, & venenum pro medicina propinet. Unde in his angustiis monere non debet, sed illam absolvi, si paratam ex sua parte inveniat, & quamprimum possit dispensationem sollicitare, ut matrimonium perficiatur juxta modum, quem graviore Authores præscribunt. Si autem non urgeat præceptum confessionis, aut Confessarius timet prudenter, quod femina admonita de veritate, non servabit

bit continentiam, tunc differenda est etiam absolutio.

52. Nota pro claritate hujus doctrinæ quod semper ac est in potestate pœnitentis remedium ponere, ne tot mala sequantur, & a peccato abstinere; debet Confessarius aperire veritatem, ut in concubinariis, usurariis, simoniacis, in possessoribus rei alienæ, in non jejunantibus, & similibus. Si vero non sit in potestate pœnitentis vitare mala imminetia, & pericula, ut in casu proposito: tunc Confessarius debet non admonere, ne reus sit mali futuri. Et si urgeat præceptum confessionis, tunc absolvi poterit, si cæteræ adsint dispositiones, imposita pœnitentia, vel præcepto, ut determinato tempore redeat ad confitendum eodem cum Confessario, ut illuminetur, & dispensatio executioni mandetur.

## CAPUT II.

## De Conscientia Probabili.

Sub conscientia probabili sermo nobis erit, etiam de Probabilismo, duobus præteritis sæculis adeo proclamato; sed jam ab Scholis fere eliminato, & partim juste proscripto.

## PUNCTUM I.

## Notio, &amp; divisio conscientie probabili.

53. Inq. 1. Quid sit conscientia probabilis? R. Est dictamen practicum rationis, quo intellectus gravi fundamento iudicat hoc sibi licere, vel non licere. Differt ab opinione in eo, quod opinio versatur circa veritatem objecti, conscientia autem circa bonitatem operationis. Conveniunt tamen in ordine ad divisionem: quapropter quod dictum fuerit de divisione opinionis, applicari valet conscientiæ probabili.

54. Inq. 2. Quotuplex sit opinio, seu probabilitas? Est multiplex. Nam primo dividitur opinio in probabilem ab intrinseco, & probabilem ab extrinseco. Illa est, quæ nititur ponderi rationum; ista vero, quæ habetur ex autoritate Doctorum. Secundo dividitur in probabilem, probabilior, & leviter probabilem. Probabilis est, quæ gravi nititur fundamento. Probabi-

lior, quæ graviori ratione fulcitur. Leviter probabilis, quæ levibus innitur rationibus. Insuper dividitur in practicam, & speculativam. Practica est, quæ respicit bonitatem operationis attentis circumstantiis, & bene perpensis. Speculativa vero, quæ iudicat de objecto secundum se, & præcisive a circumstantiis. Dividitur etiam in tutam, tutiorem, & minus tutam. Opinio tuta est, qua quis licite operatur. Tutior potest tripliciter sumi: vel absolute, comparative, aut adversative. Tutior absolute idem est ac tuta, de qua immediate diximus. Tutior comparative est, quæ propinquo est observationi legis. Ut recitare Matutinum ante Missam tutior est, quam ejus omissio; licet celebratio ante Matutinum tuta sit, vel immunis a peccato lethali, Tutior adversative est, quando opinio opposita non est tuta. Ut in verbis Apostoli 1. ad Corinth. 7. 9. Melius est nubere, quam uri. Ubi ly melius intelligitur adversative: quia uri non est bonum, sed potius malum. Unde opinio tutior in hoc sensu appellatur, in qua nulla transgressio esse potest, etiam materialis; opposita vero ejus minus tuta appellatur, in qua potest dari transgressio, saltem materialis, & ideo non est tuta.

55. Datur etiam opinio tutior a falsitate, & tutior a peccato: tutior a falsitate est opinio probabilior: tutior a peccato est opinio securior: ut opinio adstruens necessitatem contritionis perfectæ ad sacramentum Pœnitentiæ est tutior a peccato: at ejus contraria est tutior a falsitate, quia longe probabilior. Adest pariter opinio tutior extensive, & intensive, ut in dicto exemplo patet, prima enim opinio dici valet tutior extensive, at secunda dici potest tutior intensive, hoc est tuta absolute.

56. Inq. 2. An omnis opinio probabilis speculative sit probabilis practice? R. negat. Quia rationes, quæ possunt fundare opinionem speculative probabilem, multoties insufficientes sunt, ut reducat ad praxim, propter circumstantias, & incommoda, quæ hic, & nunc occurrere valent, ut appareat in opinione asserente omnia verba consecrationis Calicis non esse necessaria: quæ licet speculative sit probabilis, practice improbabilis est: quia circa valorem sacramentorum, non quod probabile est, sed quod in praxi tutius, sequi